IOHANNIS PETRI LOTICHII.

DE BONA MENTE ORATIO.



FRANCOFURTI AD MOENUM,

IMPENSIS

IOHANNIS DAVIDIS ZVNNERI.

M. DC. XXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE BONA MENTE ORATIO.

NVNC alius ducat gemitus, nunc pectore toto
Suſpiret, quando longum, cupideq; petitos,
Et mendicatos, ſors vitrea præbet honores.
Nunc ſimulet triſtes captato tempore vultûs,
Invitâ tanquam cogatur adire Minervâ
Sæpe cupitarum tot vetis culmina rerum.
Mens alio eſt nobis. Liceat modo prodere veram,
Frigida quæ neſcit mendacia fingere frontem.

Liceat, inquam, mihi, (*Auditores!*) extemporaneis iſtis verſiculis voſmet alloqui. Veteres fucatum, affectatumq; dictionis, ſive eloquentiæ, genus tantopere abominatos eſſe, conſtat: quo quidem tumore verborum nihil eſt, inanius, nihil vanius. Ego verò, inquam, pejus odi mentis ſimulatricis morbum, & fucum, ut omnibus

 locis,

locis, ſociíq; inſcribi conveniat illud, quod à ſapientiſſimis quibuſq; olim inculcatum legim⁹: *AMA BONAM MENTEM.* Finge enim, ingenuitatem, ac candorem, inprimis pietatem, abeſſe ab homine, tametſi religioſo, tametſi erudito, tametſi generoſo, ac forti, certè vel ipſam, & veram, illam humanitatem (undè vel *Artes* ipſæ *Humaniores* appellari commeruere) integritatem ſimul, atq; fidem emigraſſe, comperiemus. In *Eloquentiæ* genere, in *Carminibus*, eleganter, atq; artificioſe, conſcribendis, deperimus candorem, nitorem, ac facilitatem, contrà ceruſſam, ſtibium, miniumq;, id eſt, non naturalem, aſcititium, affectatumq;, colorem damnamus, Pariter *MENS BONA*, animusq; integer, ipſâ naturali elegantiâ, ac facilitate, liquido deprehenditur: ità ut, *Petronio* præeunte, nihil fictâ ſeveritate ineptius, nihil ineptâ perſuaſione ſit falſius. *S*icut igitur, inquam ego, cacozelos, atq; otioſos antiquarios, iſtos, qui verbis ſive inſolentibus, ſive obſoletis, ſive fœtentibus, ac deſitis, uti malunt, quàm ſequi genus eloquentiæ facile, ſincerum, atq; elegans, quo quidem animi ſenſus quàm apertiſſimè, rotundiſſemeq;, exprimitur, fugimus, atq; odimus: haud ſecus iſtos, qui ambitione ſpes ſuas donant, qui nullo ſervato, nedum intellecto, elegantis eruditionis ordine, ad honores properant, præmiaq;, aliis debita, præripiunt, neq; tamen ambitioſi, petulanlantes, ac pueriliter impotenres, videri volunt, abominamur. Faciunt n. eo ipſo, ut, hærente re-

condi-

conditâ mentis impotentiâ, morbo, ac futilitate, veluti iſti obſcuris, ab deſitis, verbis utentes, interdum, quid *ipſi* ſibi velint, neſciunt, ita hi, *tanquam ſorices*, ſicut eſt *in proverbio*, *ſibilo*, id eſt, inani turgidâq;, vaniloquentiâ, deprehendantur. Iſtos potius obſtupeſcas, quàm intelligas: hos magis rideas, quàm admireris. Fugiendi, ô Adoleſcentes, iſti, tanquam ſcopuli, qui, *BONÆ MENTIS* expertes, nedum cupidi, integritatem mentiuntur, ac ſimulant, inſidias honoribus ſtruunt, nulloq; ſervato gradu, atq; ordine, omnem, orcheſtram tranſiliunt, præmiaq; benè merentibus ambitioſâ profanitate intercipiunt. Certè, id hominum genus hodieq; frequens occurrit, qui, dum ſuæ virtuti deſperant, aliorum præmiis non utuntur, ſed fruuntur. Nos a. aliter præcordia inſtruamus, alio, atq; meliori, aceto pectus, Illudq;, juxtà *Perſium*.

Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ,

eluamus, alio ſale venas, & viſcera, depuremus, aliâ muriâ ſive garo, ſanguinem contemperemus. Non inquàm, animus is ſit nobis, honores aliis, & rectius merentibus, aut præripere, nedum furari, velle. Conſtat n. inter cætera, neq; *Mag. Alexandrum*. *Philippi*, filium, apud *Q. Curtium* ſuum, eo quod propriæ, & pluſquam regiæ, virtuti plus ſatis conſideret, vel de nocte, atq; in obſcuro, hoſtes ſuperare, nedum victorias furari, ſed interdiu, ſed ſine fraude, ſed in aperto, debellare, gloriamq; referre, elegiſſe. Hoc, prout dixi antea, qui è contrà virtutem, eruditionem, ac

BONAM MENTEM (quam, incultante ſive *Senecâ*, ſive *Petronio*, ne diſcere quidem cupiũt) mentiuntur, honores, ac præmia, per inſidias furantur, iſtis ſcilicet moris eſt, ut propriæ virtutis, ac conſtantiæ, parum poſſidentes, alienæ inhient. *B*onus, ac cordatus vir ſuâ virtute, tanquam ægide, munitus inſidias auribus haud-ſtruit, mentiri, cane pejus, & angue, cavet, oditque non tam in vultu, ac verbis, quam ipſa mente, fucum, miniumq;, ac ſimulatum colorem. Atq; hinc naturâ ſic quidem comparatum eſt, ut, exclamante *Calcagnino Italo* illo, in funere *Herculis Strozzæ*, *Poëtæ*, nemo virtuti alterius, qui ſuæ, & propriæ, confidit, invideat. Veteres *Solem* & *virtutem*, ſic inter ſe ſe ſapienter contuliſſe, mihi videntur. Sicut n. *Sol*, quò eſt excelſior, hoc umbras cauſſatur minores: quò verò humilior, terræq; propinquior, hoc umbras efficit majores, *Manè* videl. & *Veſperi*: ità vice verſâ, qui humi gradiuntur, id eſt, virtute, atq; eleganti eruditione valent, pollentq;, minus, ſeſe oſtentant magis, dilatant magis, videri cupiunt magis: Qui verò virtute, excellunt, atq; eminent, minus ſe ſe oſtentant, minus gloriantur, minus ſuperbiunt. Quò plura igitur virtus, & *Mens Bona*, infrà ſe poſita, contemnit, eò fit pluris majoraq; promeretur præmia. Ut n. felicitatem, famamq; aliquando viro bono, ac cordato, ambire laudis eſt: ità haud minoris virtutis, gloriæq;, fuerit, honores populares, felicitatemq; inanem, quam vulgus rude. miratur, non ſectari,

non quærere, ſed inſuper habere, ſed contemnere. Magnus ille, & generoſus, eſt ſpiritus, qui quidem levibus, atq; inanibus, haud movetur ſed & veræ, & non minus duraturæ, laudis incrementa penſi habet. Simulatio certè ſicut ne quidem diu felix, atq; indeprehenſa, eſſe ſuſtinet, ità contrarietatem Cordis, & oris, efficit, habetq; tortorem intus animum invidiâ, æmulatione, mendaciis, fuciſq; ſemet ipſum flagellantem. Proindè, etiam uſu venire, conſtat, ut qui *Bonæ Mentis* ſunt exules, plerumq; etiam ſolidæ veræq; Eruditionis ſint egentiores. Quòd n. obiter, ac perfunctoriè, *Muſas* elegantiores reſpexerunt, ideoq; neq; humanitate, quæ è literarum curâ, cultuaq;, ſedulâ, naſci ſolet, (raro n. literis excultus animus difficiles aluiſſe mores compertus eſt) præſtant, ſed tumore, faſtu, atq; inanibus ſonis, tolluntur, efferanturq;. Iſtos ſcite non minus, quam rectè, *Martialis* comparavit *veſicis*, vento, flatuq;, diſtentis, è quibus concepta ventoſitas magno cum ſtrepitu, & fœtore, eliditur. Itaq; non eſt, ut more *gallorum gallinaceorum* noſtrorum, (ſicut eſt in *proverbio*) *ſuſpenſis pedibus ſuper carbones tranſcurrentium*, *bonas Artes* inſpiciamus, ſed aliud & quidem majus, requiritur, eæque non niſi cum cura, induſtria, ac ſedulitate tractandæ ve-

veniunt ſanè, haud obiter, haud oſcitanter, ſed *fideliter*, juxtà tritum illud *Ovidianum.*

——————— *Didiciſſe FIDELITER Artes*

Studia amplectenda, atq; aſſidua cum ſolicitudine, excolenda inmedio proſtant. Secus illa, inquam, curantibus accidat neceſſe eſt, ut, dum veræ eruditionis parum poſſident, adeoq; ſuapte induſtriâ minus præſtant, *Malæ Menti* ac fucis, operantes, aliorum ſcrinia in vadant, atq; conpilent, adeoq; cæterarum avium canorarum plumis inſtar *Cornicis* illius *Horatianæ*, aliquouſq; tripudient, ac glorientur, donec grex avium (ſive eruditorum hominum,) plumas ſuas repetat, iſtiq; in mendaciis, & furtis, deinceps deprehenſi, cachinnum moveant: ſicut illa *Horatiana*

——————— *Movit CORNICVLA riſum,*
Furtivis nudata coloribus ———————

Sed ad rem propoſitam, properandum eſt. Cæterum (*Auditores!*) antequam ad lectiones ordinarias, ſive publicas, progrediar, more, *Academiis* uſitato, prævideo, mihi de encomiis ſive *Artium humaniorum*, ſive ipſius (cujus equidem opera profiteor) *Medicinæ*, dicendum eſſe. Ne igitur prorſus nihil dicam, ne etiã cramben, ut ajunt, bis, terve, coctam in recenſendis *Medicinæ noſtræ* laudibus (cujus-modi in propatulo extant facile omnibus) reponam: agedum lubet, inquam, ſequeſtratis id genus *Artium* encomiis familiaribus, paulò, uberius in conditiones *BONÆ MENTIS* inquirere, quidq; eâ appellatione veteres ſive *ſapientes*, ſive *Philoſophi*, intellexerint,

rint, uberius explicare, atq; aliquouſq; hunc ſermonem noſtrum extrahere. Inter cæteros omnis accuratæ, ac ſolidæ, eloquentiæ magiſter, ac coryphæus, *T. Petronius*, inquam, toties amorem *BONÆ MENTIS* inculcavit, in eleganti Latinæ puritatis, atq; elegantiæ, mellificio, ſcil. *Satyrico*, ſuo, ut *Adoleſcentem* nec à publico ſapore, nec a triviali eruditione, nedum animo corrupto, commendaturus, *BONAM MENTEM* illum amare, quod quidem eſſet rariſſimum, affirmarit Idem alibi, ſuper perditis ſuæ tempeſtatis moribus, exclamavit: *Ac ne BONAM quidem MENTEM*, inquit, *aut bonam valetudinem, petunt.* Quid verò illi coævus, *Seneca?* Hic, per fidem ſi quiſquam alius, ſaluberrimis, totieſq; reiteratis, præceptis, *BONÆ MENTIS* amorem cupidinemq; de induſtria inſtillavit, ut omnem operam ad illius ceu frugis impendium, ac ſtudium, inſumſiſſe videri queat. Ita a. ille (cujus *Autoris* delenifica verba attuliſſe tantum non profuerit, ſed rem iſthanc, ut opinor, illuſtriorem reddiderit) in *Controverſiis*, (quas *Cicero*, *Cauſſas*, *Petronius declamationes*, *Quintilianus*, atq; alii, *colores* dixerunt) primum præſcribit: *Vt ſalva*, inquit, *provincia ſit*, *OPTEMUS MERETRICI BONAM MENTEM*. Sed etiam diligentius, & curioſius, Seneca philoſophus, præcepit Epiſt. 10. *Votorum*, inquit, *tuorum veterum licet Diis gratiam facias. Alia de integro ſuſcipe: ROGA BONAM MENTEM, BONAM VALETUDINEM ANIMI, dein-*

de corporis. Quidni tu ISTA VOTA ſæpius facias. Audacter Deum roga, nihil illum de alieno rogaturus. Eandem rem prolixè proſequitur rurſus, Epiſt. L. *Erubeſcimus*, inquit, *diſcere BONAM MENTEM. At, mehercules, turpe eſt, magiſtrum hujus rei quærere. Illud deſperandum eſt, poſſe nobis caſu TANTVM BONVM influere. Laborandum eſt, & , ut verum dicam, ne labor quidem magnus eſt, ſi modó ut dixi, ante animum noſtrum formare incipiamus, ex re corrigere, quam induręſcat pravitas ejus : ſed nec indurata deſpero. Nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera, et intenta, ac diligens, cura. Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis. Curvatas trabes calor explicat: Et aliter natæ in id finguntur, quod uſus noſter exigit. Quantò facilius animus accipit formam, flexibilis, & omni humore obſequentior? Quid n. aliud eſt animus, quam quodam modo ſe habens ſpiritus? Vides autem, tanto ſpiritum eſſe faciliorem omni alia materiâ, quanto tenuior eſt.* Et mox ſubjungit: *Ad neminem antè BONA MENS venit quàm MALA. Omnes præoccupati ſumus, virtutes diſcere, vitia dediſcere. Sed eò majore animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quòd ſemel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt: Non dediſcitur virtus. Contraria. n. mala in alieno hærent. Ideò expelli, & extirpari, poſſunt. Fideliter ſedent, quæ in locum, ſuum veniunt. Virtus ſecundum naturam eſt: Vitia inimica, & infeſta ſunt. Sed, quemadmodum*

dum

dum virtutes receptæ exire non poſſunt, faciliſque earum tutela eſt: ita initium ad illas eundi arduum: quia hoc primum imbecillæ mentis, atque ægræ, eſt, formidare inexperta. Itaque cogenda eſt mens, ut incipiat: Deinde non eſt acerba medicina: protinus n. delectat, dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt, philoſophia pariter & ſalutaris, & dulcis, eſt. &c. Idem denuo ſic urget Epiſt. 110. *IVBEO TE HABERE MENTEM BONAM: hoc eſt, propitios Deos omnes: quos habet placatos, & faventes, quiſquis ſibi ſe propitiavit.*

Hactenus *Seneca.*

Videte, annon conceptiſſimis verbis, daráque operâ, amorem, deſideriumque *BONÆ MENTIS* & præſcribat, & præcipiat, ſapiens ille? Expendite quæſo, an ſalutarius aliud præceptum, ſub *Trimalcionis iſtius*, *Neronis*, inquam, tempeſtate, ac tyrannide, formari potuerit? Sed interrogatis, ut intelligo, quid eſſet illud, quod quidem veteres per *MENTEM BONAM* inculcare voluerunt? Ignorii n. ſicut ajunt, nullum deſiderium: ut in limine uniuscujusq; tractationis meritò diſpiciendum ſit, de *Quæſtione* (prout hodieq; in *Scholis* loquuntur) *Quid eſt?* antequam fiat progreſſus ad *Quæſtionem*, *Quale eſt?* Divinam proindè vocârunt olim *definitionem* rei

quâ

quâ excluſâ, facile in tenebris palpitamus, neq; propoſiti certitudinem aſſequimur. Ita! a. habetote! Inter placita antiquitus *Græciæ Sapientum*, illud ſive *Solonis*, ſive, *Chilonis*, fuit: γνῶθι, σεαυτὸν quod è cælo deſcendiſſe, ajebant. Commone faciebant n. propriam ſui ipſius cognitionem, hoc commodi, boniq;, ſecum afferre, ut, unde homo eſſet, quis eſſet, cur, & in quem finem natus, factusq;, eſſet, quid noctu, diuq; gereret, quod virtutes colere, vitia declinare, ac fugere, deberet, hoc ipſo ſemper, & prompte, tãquam in ſpeculo omnium optimo, ac luculentiſſimo, obverſaretur: quæ quidem *BONÆ MENTIS* opera dicenda eſſe, extrà controverſiam poſitum eſſe, arbitror, *Phocylides*, è cæteris, nomine *MENTIS BONÆ*, intellexiſſe *Iuſtitiam* videri poteſt. Eam n. poſt Deorum cultum, oppidò ſubjungit, in poëmate admonitorio, aureo:

Principiò venerare DEOS, çole deinde parentes,
FAC IVSTE CVNCTIS, nec te favor abſtrahat ullus.

Veram eſſe hanc hujuſce loci interpretationem, alius *Græcus ſapiens*, videl. *Theognis*, *Megarenſis* ille, in lacteis ad *Cyrnum* ſuum ſententiis, q̃ *Latine* ſic habent, confirmavit, v. 146.

Malis a. IVSTE paucis cum facultatibus vivere,
Quam dives eſſe, injuſte opes adeptus.
IN IVSTITIA autem comprehenſim OMNIS VIRTVS ineſt:
OMNISq́, VIR BONVS eſt Cyrne, IVSTVS qui EST.

Phocyl-

Phocyllidis, *Theognidisq;*, ſententiæ acceſſit è *Latinis poëtis* clariſſimum *Virgilii* ingenium. Qui, *BONAM MENTEM* inculcaturus, *Iuſtitiam*, *Deiq; timorem*, utpote ab *Eccleſiaſtico*, *Hebræo*, & ſapiente noſtro, *initium ſapientiæ* meritò appellatum, juxtà ſeſe mutuo poſuit, *Æneid. lib. 6.* verſiculo illo notiſſimo: quem omnium *Virgilii* verſuum *Patavina* illa puella, æſtro percita, *Græcè* & *Latinè* callens præſtantiſſimum dixiſſe, fertur:

DISCITE IVSTITIAM moniti, & non temnere Divos:

In quo *Bonæ* Mentis igniculos latere, nemo fortè dubitat. Sed, fallor, an paulò apertius, per *BONAM MENTEM*, ipſam *PIETATEM*, inſinuavit *Q. Curtius*, rerum *Alexandri* ſcriptor, lib. 6. ubi ſic habet: *Quem n.* inquit, *PIVM, ET BONÆ MENTIS non amicum modo, ſed ex ultima plebe, auditis, quæ ad eum delata erant, non protinus fuiſſe ad Regem curſurum.* *Curtio* ſubſcribit, inter cæteros, *Nicol. Valla*, in verſione *Heſiodi*, *libro* illo, qui *opera*, & *Dies*, inſignitur, ubi *Pio Impium*, ſive *Bonæ Menti Malitiam* oppoſuit, verſiculis iſtis:

——— *Iurataq; fallent*
Numina, IVSTITIÆ nulli tribuentur honores,
Pulſa gemet BONITAS: illum venerabitur orbis,
Cui MALA MENS ſuadet fera crimina.

Hæc igitur, hæc, inquam, *PIETAS* acclamãte vel gentili *Petronio* ex omnibus reliquis *Animi* ornamentis, ac dotibus,

——— *Homini TVTISSIMA VIRTVS.*

Apud-

Apud *Lucianum*, *dialog.* 1. in ſomnio, ſeu vita *Luciani*, latius, atque explicatius, *BONÆ MENTIS* ornamenta recenſentur, videl. *MODESTIA, IVSTITIA, PIETAS, MANSVETVDO, ÆQVITAS, PRVDENTIA, FORTITVDO, AMOR HONESTI, & RERVM PVLCERRIMARVM STVDIVM*: quibus adoleſcens aliquis inſtructus, ſincero, perpetuoque, *BONÆ MENTIS* contubernio uti frui poſſit, debeat. Ità verò ad *Lucianum Humanitas*: *Contra a*, inquit, *ſi mihi obſequeris, principiò tibi oſtendam multa veterum virorum præclara opera, & res, admiratione dignas. Deindè & orationes illorum tibi renunciando, & omnium, ut ſic dicam, expertum te reddendo, ANIMVM (quod præcipuum in te eſt) EXORNABO tibi MVLTIS, ac PRÆCLARIS ORNAMENTIS, MODESTIA ſcil. IVSTICIA, PIETATE, PRVDENTIA, FORTITVDINE, AMORE HONESTI, & PVLCERRIMARVM quarumq; RERVM deſiderio. HÆC n. ANIMI ORNAMENTA ſunt VERE SINCERA, atq; PERPETVA. Neq; autem latebit te, neq; veterum quicquam, neq; eorum, quæ in præſens geri debent. Sed ea, quæ agi conveniet, quæq; decent, me duce, longè antè proſpicies. Et in ſumma omnia, quæcunq; ſeu divina, ſeu humana, ſunt, parvo tempore docebo te: Et, qui nunc pauper atq; inops, & iſtius, neſcio cujus, filius, qui de arte adeò illiberali, neſcio quid, conſultas, haud ità multo poſt, nimium felix, nimiumq; beatus, omnibus vide-*

videberis, tum & honorib⁹ afficieris, & laudib⁹ efferetis, & pulcerrimarum quarūcumq; rerum gloriâ celebraberis, illius etiam, qui divitiis, ac genere, cæteris antiſtant, in te animis, atq; oculis, converſis. &c.

Quæ quidem talia *Humanitas* ad *Lucianum*, &, ſub hoc nomine, ad omnes, & ſingulos, humaniorum, liberaliumque, *ARTIVM*, in primis *BONÆ MENTIS*, id eſt, *Modeſtiæ, Pietatis, Iuſtitiæ, ac Manſuetudinis*, ſtudioſos, dixiſſe poterit. Sed parcire, vos rogo, quod alienis verbis, & quidem curioſius hûc allatis, hunc meum ſermonem extraho! Putabam a. me facturum conſultius, ſicuti nihil de meo finxiſſe, ſed ex antiqua, ac ſincera *philoſophia*, diſcurſum iſt hunc confirmâſſe. viderer, ut, productis in medium veterum *Sapientum* ſententiis, res ipſa, citrà ſuſpicionem, evaderet oppido luculentior, atq; illuſtrior. Qua propter vix mihi temperare potero quin ad *Poëtarum* elegantiorum libellos, atq; id genus ſive *Hiſtoricorum*, ſive *Politicorum*, placita, devolvar: quorum hominum lectiones à teneris utiq; hanc ad uſq; ætaté, me non unicâ delectatione toties affeciſſe, diffiteri neq; poſſum, neq; debeo. Commodum a. mihi animum ſubit *Ovidii* illud: qui quidem, ſub *Candoris* ac *SIMPLICITATIS*, titulo, *BONAM MENTEM* intellexiſſe, viſus eſt: dum in hæc ſuccinit, de *A*rte lib. 1.

———— *Ævo RARISSIMA noſtro SIMPLICITAS* ————

Profectò n. ab antiquo *candor, probitas*,

Ipſaq;

Ipſaq; SIMPLICITAS digna favore fuit.
Sicuti igitur *Demoſtheni, orat. ad Leptinem*, creditur: *Præſtat SIMPLICEM videri, quam IMPROBUM eſſe.* Pariſſimè, quam nos hîc *BONAM MENTEM* dicimus, & ſapienter, vocavit *HONESTUM ANIMUM*, omnium utiq; in homine bonum præcipuum, *Politicorum* princeps ille, *Corn. Tacitus.* Ita n. ille, de *Sabina Poppæa*, Annal. lib. 13. *Huic*, inquit, *mulieri cuncta alia fuêre, præter HONESTUM ANIMUM.* Quod enim *RECTUM*, & *HONESTUM*, & *cum VIRTUTE* eſt, id ſolum *BONUM* eſt, enunciante Oratorum maximo, diſertiſſimo, *M. Tullio, paradox. lib.* 1. Ita, ut nihil ſit *BONUM*, quod non *HONESTUM*, nihil *MALUM*, quod non idem *TURPE*, exiſtat! eodem autore, *ad Atticum lib.* 10. Cum illo *Taciti* coincidit hoc, quod ſequitur, *Claudiani*: ubi, *Poëta* optimi commatis, amorem, ſtudiumq́·, *HONESTARUM RERUM* præcipue comendavit, de Conſulatu Honorii, lib. 7. v. 267.

———— Sed comprime motûs,
Nec tibi, quid liceat, ſed, quid feciſſe decebit,
Occurrat, MENTEMq; DOMET RESPECTUS HONESTI.

Inter cæteras *Horatius*, *Ode* 22. *ad Ariſtium*, *VITÆ INTEGRITATEM*, pacatamq; conſcientiam, tanquam *BONAM MENTEM*, inſignit: quâ quis ubiq; contrà omnes ærumnas, ac pericula, ſecurus perſtare ſufficiat. Idem *VIRUM BONUM* deſcripturus, dicit eum eſſe,

qui

qui patrum piorum decreta, itemq; *leges*, atq; *jura*, obſervaret, quo nomine ſupra pro *BONA MENTE*, *è graviſſimis Autoribus*, *allegavimus IVSTITIAM*. Ita verò, lib. 1. Epiſt. 15. ad Quintium Lyricus iſte:

———————— *VIR BONVS eſt quis.*
Qui conſulta patrum, qui leges, Iuraq; ſervat.

Neceſſe n. eſt, ut malè ſit, *extra legem* viventibus: cum, quicquid merentur, ſemper exſpectent: prout curioſâ experientiâ divinavit felix *Petronii Arbitri* elegantia. Hanc (qua de agimus) *MENTEM BONAM*, *BONAM VALETVDINEM ANIMI* dicebat *Seneca philoſophus*, prout ſuprà viſum, *Epiſt.* 10. Haud ineptè ideircò *MENTEM SANAM*, id eſt, fortem continentemq;, atq; à vitiis remotam, prædicavit, eodemq; votò, tam *ANIMI*, quàm *CORPORIS*, *VALETVDINEM* complexus eſt *Iuvenalis*, *ſatyr.* 10. cujus ſunt iſta:

Orandum eſt, ut ſit MENS SANA IN CORPORE SANO!
FORTEM poſce ANIMVM, & mortis terrore carentem,
Naturæ qui ferre queat quoſcunq; dolores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores,
Herculis ærumnas credat, ſævoſq; labores
Et Venere, & cœnis, & plumis ſardanapali.

Quid? quod ſpectata *Auſonii* brevitas *BONAM MENTEM* adumbratura *CONSCIAM RECTI*, id eſt, probam, ingenuam, mali, ac vitiorum, turpitudiniſq; neſciam, indigetavit,

in ſententiis 5. *Sapientum*, & quidem *Bianti* aſ-ſcriptis:

Quanam SVMMA BONI? MENS, quæ ſibi CONSCIA RECTI.

Ad quæ eleganter, atq; propriè Stobæus, ſerm. 1. de prudentia: *Periander*, inquit, *percontatus, QVID IN ANIMO eſſet MAXIMVM? Reſpondit: BONA MENS in corpore humano.* Contrà, arguente vel gentili Plauto in Moſtell. act. 3. ſc. 2.

Nihil eſt MISERIVS, quàm ANIMVS hominis CONSCIVS.

Nunquam n. ſecurus eſt *REVS ANIMVS*: *MENS* n. *MALA* conſcientiæ propriis agitatur ſtimulis: ſapienter enuncians e *Iſidoro Peluſiotâ* (*Soliloquior lib.* 2. Sicut igitur *Nepenthes* herba. ab *Homero* prædicata, poculis indita, convivii nubem, ac triſtitiam, diſcutit: ità, vel *Plinio* autore, *BONA MENS* inſita, nobis omnem vitæ ſolicitudinem aufert, aboletq;.

Vultis jam, ut *BONÆ MENTIS* idola quædam, ſive Imagines, vobis ponam ob oculos? Dabo ecce! vobis, ſicubi patienter brevem hanc moram ferre patiemini. Olim *Hieroglyphici*, atq; *Ægyptii* illi ſapientes, *BONÆ MENTIS* ſimulacrum propoſituri, *CICONIAM* in *Regum* ſceptris effinxerunt. Itaq; hanc *pietaticultricem*, ſicut *Petronius* nuncupavit, avem paſſim, & crebrò, videre licuit penes *Romanos*, orbis ac gentium, dominos, in numiſmatibus, præcipuè *Hadriani Imp.* adjectâ hac inſcriptione: *PI-*

ETAS

ETAS AVGVSTA! ſignificat. n. hocce *Emblema* hominem *pietatis* ergà parentes, maximè ſenio provectos, adeoq; veræ caritatis, ſtudioſum eſſe debere. Indè eſt illud τὸ ἀντιπελαργεῖν, hoc eſt, *Ciconiæ* naturam, ſive inſtitutum, imitari. Hæc n. avis parentes, ſenectâ ætate defectos, unice alit, volandiq; inopes, alis, ſive humeris, geſtat: dum reliquæ pleræq; tantiſper parentes amant, ac ſequuntur, quamdiu illorum nutricatu, ac fomentis, opus habent. Deſideratisne aliquod ex hominum genealogia *BONÆ MENTIS* Emblema? Certe, hoc nomine, inter gentiles laudem maxime, ac *Pii* agnomē, *BONÆq; MENTIS* conſtantiam, meruiſſe intelligitis *Æneam Virgilianum* illum, utiq; qui capta, incenſâq; *Trojâ*, juxta *deos*, ſive *Lares, patrios, Anchiſem* parentem, ſenio, ac viribus, defectum, humeris, pium, ac dulce onus, ſuſcepit, flammiſq; neciq; ereptum, ſpecioſo *Ciconiarum* exemplo, ſervavit. Si plura è gentilitate exempla quæritis: ecce! ejuſdem *Bonæ Mentis*, id eſt, in parentes pietatis, atq; officii notas exhibuiſſe ſ iatis olim quoq;, apud *Pauſaniam*, *Bithonem*, & *Cleoben*, fratres, qui matrem, annis, ac ſenio laborantem, dum jumenta vecturæ haud ſufficerent, ſubjecti iugo, ac currui, ad *Iunonis* templū deduxēre. Longe quapropter illi, pietate, ac *Mente Bonâ*, conſpicui, calculo *Solonis*, vel *Craſo iſti*, *Regum Perſarum* ditiſſimo, præferri meruerunt, ut eſt de reb⁹ *Perſicis*, apud *Herodotum*, *lib.* 1. *cap.* 30. Sed, ſicut intelligo, optatis etiā præter gētilium id genus exempla, ut etiam in *Germania* noſtra,

pietate, ac vera *Religione*, *Græciæ* illi longè anteferenda, domeſticum quoddam, ac luculentum *BONÆ MENTIS* hieroglyphicum, ſive ſymbolum, ſtatuam. Faciam id tam meritò, quam libenter. *E*cce autem prodeat in medium ſuperioribus ſeculis *Imperio* noſtro laudata, ac cognita, *Guelphi* illius, *Bavariæ Ducis*, uxor nobiliſſima? Quid tum verò? Hæc, inquam, *Pietatis* - ſive *Bonæ Mentis*, ductu maritum, à *Conrado Imperatore* debellatum, atq; in *Arce Winſpergenſi* concluſum, jam jamq; ſive neci ſive pœnæ, dandum, excogitato egregio, pio, ac memorabili, ſtratagemate, ab inprudente, atq; invito, *Imperatore*, hoſtiliter irato, exoravit, liberavitq;, Matrona n. rebus deſperatis, extrà arcem progreſſa, *Cæſariq;* ſupplex facta, dulci illo commento, deprecata eſt, ut cum pro marito, nimis *Cæſari* exoſo, verba facere ne auderet quidem, pro rebus pretioſis, quantum dorſo, humeriſq;, ipſa cohorſq; matrum illuſtrium, efferre ſuſtineret, verba faceret, licentiamq;, & copiam, ejus, quod animis, & *Bonæ Mentis*, impulſu, præcogitaſſet, impetraret. Ecce! igitur illa, non gemmis, non auro, ſed Duce, ſed marito ſuo, humeris ſuſcepto, ſpectaculo ſanè egregio *Æneam Trojanum* imitata, monſtravit, quantæ vires eſſent Pietati, veræq; caritati, ut hoc inſolenti, ſed nobili, *MENTIS BONÆ*, ſive *Pietatis*, hieroglyphico, illico, *Cæſar* commotus, & *Ducem*, velut captum, uxori, & ſe utriq; amicum, ac reconciliatum, reddiderit. Gratuletur nunc, agè ſibi *Tro-*

jana

jana ſive illa, ſive *Latina*, & *Romana*, hiſtoria, ſuper *Ænea*, pelargos imitante, & *pietaticultore*, illo: per fidem! illuſtris hæc quoq;, & quidem *Germana*, matrona, digniſſima eſt, quæ, *Ciconiæ* more, in ſceptris, inſignibus, picturis, atq; aulæis, regiis, exempli, ac pietatis, loco, ſymboloq;, ſculpatur, pingatur, ſtatuatur. Iſta nunc, ſicut verè *BONÆ MENTIS* hieroglyphica, atq; paradigmata, prædicantur: ita vice verſâ *PRAVÆ*, ac perverſæ, *MENTIS* indicinam præbent ex *Animalibus* iſta, quæ quidem in parentes manifeſtâ impietate laborare comperiuntur. E quibus primo facilè loco refertur *Hippotamus*, equus marinus, tantæ, ac tam ſceleratæ, in parentes impietatis, ut *Plutarcho* teſte, patrem interficiat, eoq; è medio ſublato, matrem propriam ineat. A quo ſcelere aliâs comuni naturæ pudore equos terreſtres noſtros averſos eò uſq; eſſe, innotuit, ut aliquando ſub miſſorem, quod ad matrem capite obvelato induxiſſet, equus, fraude intellectâ, atq; errore, occiſione occidiſſe, literis proditus ſit. *Hippotamus* igitur, efferum, impium, atq; inceſtuoſum, animal, crudeli iſtâ impietate effecit, ut, ſicut *Ciconia* apud *Ægyptios* veteres, *pietatis ſymbolum* ita hic contra profeſſæ, ac luculentæ, *impietatis* eſſet *imago*. Sicut enim, autore *Piërio Valerio*, ſceptra regia in ſummitate *Ciconiæ* capite, erant inſignita, ità è contrario *Hippotami*, equi marini, ungulæ, inferius appenſæ, repræſentabantur: verò, ac ſincero, argumento, *Pietatem* inpri-

primis eſſe venerandam, colendamq́;, *Impietatem* verò peſſundandam, pedibuſq́; veluti proculcan am. Pariter in animalibus infamatæ *Impietatis* extant *viperæ*. Quæ, perruptâ matris alvo, in lucem prodeunt. Undè, ꝙ matrem interimunt, ipſæ naſcentes, *parricidii* hieroglyphicum ſuppeditare aptæ ſunt. De *Scorpionibus*, atq́; *Araneis*, idem fere annotatum eſt ab *Ariſtotele, lib. de Animal. natura*, eos ſcil. poſt incubatûs officium, à fœtibus ſuis necari. Atq́; ut hoc ſupperaddam, certe *MALÆ*, immò *PESSIMÆ*, *MENTIS* inſaniam conſecuta eſt *Matrona Epheſina* iſta, apud *Petronium*, in *Satyrico*: quam non fabulam, ſed hiſtoriam, eſſe, ſunt e viris notæ fidei, qui aſtruunt. Sicut a. in *Matrona* illuſtri illa anteà *BONÆ MENTIS* elegantem monetam, ac characterem, præmiſimus: ità hîc *MENTIS PRAVÆ*, peſſimæq́;, atrocem *picturam* aliis lineis producemus. Quid a. patravit? Iſta, ſi Diis placet, tam commendatam præ ſe ferebat pudicitiam, ut etiam vicinarum gentium feminas ad ſui ſpectaculum evocaret. Hæc igitur, cum mariti funus extuliſſet, non contenta, more vulgari, planctûs, eiulatusq́;, edere, pectus nudare, paſſis crinibus in populo funus proſequi, ſed etiam in conditorium, iux ta defunctum, egreſſa, excuſſo omni humanæ conſolationis genere, ut nec cognatos, nec ad ultimum magiſtratus ſeveritatem, tanti faceret, inuſitatum hunc lugendi modum excutere tentantes, totis noctibus, diebuſq́;, flere, adeoq́; quinq́; dierum inediâ ſeſe con-

ſicere, cœpit, ſimulavitq;. Quid verò accidit? Iſta, quæ tota in civitate erat fabula, habebaturq; unicum, atq; ſingulare pudicitiæ, pietatiſq; maritalis, divinum magis, quam humanum exemplum, tandem militi patibulario, ſive cruces, ne quis detraheretur, obſervanti, noctuq;, ac furtim, lumine per tenebras alliciente, irrepenti, turpiter, ejuratâ omni pudicitiâ, ſuccubuit, turpiꝰ, p integrũ triduum, nuptiis facinoroſis litavit, turpiſſimè verò omnium, poſtq̃ cruciarius iſte miles, ob detractum è furca cadaver, omnia ultima metuens necem gladio laſciviæ ſuæ intentare velle videretur, corpus mariti ex arca ſuſtulit, adeoq; in crucem, quæ vacabat, tantum non adegit, ſed, crudelitatem buſtuariæ mulieris ipſo etiam perhorreſcente milite, tantum non permiſit, ſed fieri voluit. ſed juſſit, ſed urſit, ſed poſtulavit. Hem! tibi *MALÆ*, immò pravæ, atq; *immanè atrocis*, *MENTIS* proſtibulum. Hem fucatam ceruſſâ, mangoq;, id eſt, ementitâ prorſus pudicitiâ, infamem meretriculam. Sed in viam. Addendum quoq; iſtud eſſe, præcogito: veteres ſcil. inter cæteras *BONÆ MENTIS* notas, poſuiſſe fidem, integritatem, ac candorem: Quod per eum, vel *Cicerone* præeunte, arguerent ſinceritatem, integritatem, animiq; infucatam, puritatem. Contrà *Nigros*, *Atheoſq;* appellare, moris erat, quicunq; moribus pernicioſis, inquinatis, atq; infamibus, notati eſſent. Indè in homines *MALÆ MENTIS*, id eſt, *NIGROS*, inter cæteros, quadrat illud Flacci, ſerm. 1. ſatyr. 5.

——————— *Abſentem qui rodit amicum,*
Qui non defendit, alio culpante: ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamq́ dicacis:
Fingere qui, non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit: HIC NIGER EST, HVNC TV,
Romane, CAVETO.

Reſpectu ejuſce A*VTORIS*, (quocum mens hominis intus obſita eſt, candorem, probitatemq; , atq; integritatem, nullam gignere, ac producere, ſuſtinet) obtinuit, ut, è *piſcium* genealogia, inter reliquos, *Sepia*, *MENTIS PRAVÆ*, ſive hominis, juxta *Horatium*, *NIGRI*, eſſet ſymbolum. Prout n. id genus *loligines* ſive *Sepiæ*, aterrimo humore nutriuntur, atq; exuberant, ut intuenti facile abominationem pariāt, attingenti verò man⁹ piceo iſto luto inficiant: ita naturâ quoq; comparatum eſt, ut *NIGROS*, hoc eſt, perniciosis, inquinatiſq;, moribus infectos homines, tantum non averſemur, ſed, ſicuti fortè iſtorum ſodalitio, & contubernio, aſueſcamus, de *NIGRORE* iſtorum, id eſt, vitiis, impuritatibuſq;, labem, ac contagium, contrahamus. Superpondii loco, agedum lubet aſcribere unam, alteramq indicinam, ſive notam, quibus, de veterum *Philoſophorum* autoritate, *BONÆ MENTIS* poſſeſſores non gaudere tantum ſolent, ſed etiam deprehendi ſuſtinent. Quæritis, niſi fallor, quo facto? EX illis verò, ſignis, inquam, refertur *COLOR FACIEI SANGVINEVS*, ac *RVBICVNDVS*, (minimè gentium *Rufus*) qualis quidem *PALLORI*

RI longe ante fertur, adeoq; maxime in *Adoleſcentibus*, ingenui, liberalis, ac recti, Animi (nos hîc *MENTEM* vocamus *BONAM*) index ab antiquiſſimis quibusq; & probatiſſimæ fidei, ſcriptoribus perhibetur. Id quod ut non unicâ *ſapientum* illorum, fide confirmatum faciamus, è cæteris prodeat *Diogenis*, *Cynici* dicti, ſolertia! Qui, prout eſt apud *Laërtium*, *in vita philoſopor. lib. 6.* ſicubi intuitus *eſſet Adoleſcentem*, *RUBORE PERFUSUM*, prompte exclamavit: *CONFIDE, FILI, HIC COLOR EST VIRTUTIS*. Scilicet, quod color ille, qui per verecundiam oboritur, ſive pudoris dicendus potius ſit, *Animum* arguat verecundum, ingenuum, ac virtutis avidum. Recte n. atq; appoſite, Publii Mimus: *Spes eſt SALUTIS, ubi hominem objurgat PUDOR.* Indè quoq; eſt, quod *Pythias*, *Ariſtotelis philoſophi* filia, interrogata, *Qui COLOR ESSET PULCERRIMUS?* reſpondit: *Qui PER VERECUNDIAM INGENUIS oboritur*: referente *Stobæo, ſerm.* 31. Scitè, ac propriè iſta excipiuntur à Symmacho, viro Conſulari, lib. 1, Epiſt. 90. *Quorum*, inquit, *MENS HONESTA eſt, eorum IMBECILLA FRONS EST.* Itemq; rurſus, lib. 10. Epiſt. 1. *ſcio*, inquit, *VIRTUTI COGNATUM PUDOREM.* Cum igitur *SANGUINEUS* hic ſive *vultus* ſive *Faciei*, *RUBOR*, virtutis eſſet, ſinceræq; ac *BONÆ MENTIS*, character, haudquaquã imprudenter feciſſe *C. Plinium Secundum*, innoteſcit, qui honeſtiſſimum juvenem ſive amico, ſive conſangui-

neo, etiam in filiæ matrimonium, ac generum, admittendum, commendaturus, inprimis hoc *COLORE* illum prædicare cæpit, quod *FACIE eſſet LIBERALI, ET MVLTO SANGVINE, ET MVLTO RVBORE*, ſuffuſâ. Verba ipſa audiamus, è lib. 1. Epiſt. 14. *Eſt illi* inquit, *FACIES LIBERALIS, MVLTO SANGVINE, MVLTO RVBORE, ſuffuſa : eſt ingenua totius corporis pulcritudo , & quidam ſenatorius decor. QVÆ EGO NEQVAQVAM ARBITROR NEGLIGENDA: debet enim hoc caſtitati puellari quaſi præmium dari.* Hæc ille. Intereà , *COLOREM* illum *SANGVINEVM* tantum non in *Adoleſcentibus* eſſe decorum, ſed etiam in *Adultis* non improbandum, etiam *in Philoſophis* notabilem, etiam *in Imperatoribus* clariſſimis inſignem, jamdudum abhinc docuit *Seneca, Epiſt.* 11. cujus verba ipſamet ſuperinducere , fuerit operæ pretium : *Vbi ſe*, inquit, *collegit, VERECVNDIAM, BONVM IN ADOLESCENTE SIGNVM, vix potuit excutere: adeo illi EX ALTO SVFFVSVS eſt RVBOR. Hic illum, quantum ſuſpicor, & jam, cum ſe confirmaverit, & omnibus vitiis exuerit, SAPIENTEM QVOQVE SEQVETVR. Nulla n. ſapientiâ naturalia corporis, aut animi, vitia, ponuntur, Quicquid infixum, & ingenitum, eſt, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam, etiam conſtantiſſimis, in conſpectu populi, ſudor erumpit, non aliter, quam fatigatis, & æſtuantibus, ſolet : quibusdam tremunt genua dicturis: quorundam dentes colliduntur, lingua titubat, labea*

con-

concurrunt. Hæc nec diſciplina, nec uſus, unquam excutit: ſed natura vim ſuam exercet, & illos vitii ſui, etiam robuſtiſſimos, admonet. Inter hæc & RVBOREM eſſe ſcio, qui GRAVISSIMIS quoq; VIRIS SVBITVS offunditur. Magis quidem in IVVENIBVS apparet, quibus & plus caloris eſt, & TENERA FRONS: nihilo-minus VETERANOS, & SENES, tangit. Quidam nunquam magis, quam cum erubuerunt, timendi ſunt: quaſi omnem verecundiam effuderint. SVLLA tunc erat violentiſſimus, cum FACIEM ejus SANGVIS invaſerat. NIHIL ERAT MOLLIVS ORE POMPEji: nunquam non corám pluribus erubuit: utiq; in concionibus. FABIANVM (philoſophum, & Rhetorem) cum in Senatum teſtis eſſet inductus, ERVBVISSE, memini. Et hic MIRE ILLVM PVDOR DECVIT. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, ſed a novitate rei: quæ inexercitatos etſi non concutit, movet, naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam, *ut QVIDAM BONI SANGVINIS ſunt, ita QVIDAM INCITATI, & MOBILIS, & citò in os prodeuntis.* Hactenus *Seneca.* Quid? quod, apud *Ael. Lampridium*, legitur *Heliogabalus*, *Imperatorum* impuriſſimus iſte (modo cinædus, atq; exoletus, iſte *Imperator* dicendus ſit) poſteaquam ad vindemias vocaſſet, amicos nobiles, & ad corbes ſediſſet gravisſimũ quemq; percunctari cæpiſſe, *An prompt⁹*

eſſet

eſſet in venerem? *ERUBESCENTIBUSq; SENIBUS*, exclamâſſe *Terentiano* illo: *ERUBUIT, SALVA RES EST*: ſilentium, ac *RUBOREM*, pro conſenſu interpretatus. *Atq; hic* ſane *RUBOR*, prout, de *Fabiano philoſopho*, protulit antè *Seneca*, mirè condecuit homines prudentiâ, ac ſenio, graves, utpote quibus rei ſive indignitas, ſive novitas atq; impuritas, minime vero animi imbecillitas, *RUBOREM PUDOREMQUE*, iſtum expectoravit. Atq; hæc, de *BONÆ MENTIS* τεκμηρίῳ, ſive ſigno, *FACIEI* videl. ſive *COLORE SANGUINEO*, ſive *RUBORE*.

De *MALÆ MENTIS* charactériſmo, *NIGREDINE* ſcil. atq; *ATRORE*, jam anteà quædam (ſicuti alibi prolixius *in Commentariis ad Petronium* id egimus) præmiſſa ſunt. De *PALLORE* autem, & quidem ex alto ſe ſe exerente, tria, quod ajunt, verba ſuperaddenda reſtant. Tametſi a. hodieq; à mulierculis quibuſdam nobilibus, ac petulantibus, tanto cum ſtudio quæri ſoleat *COLOR FACIEI PALLIDUS*, ut non-nullæ, in ejuſce rei compendium, *Creta, terra cimoliæ* atq; *arena*, pulviſculos, familiariter comediſſe, propriâ confeſſione, deprehendantur, aliæ *ceruſſâ fucis*, & id genus remediis, *PALLOREM* inducentibus, abuſæ eſſe, accuſentur: nihilo-minus, veterum *ſapientum* calculis, tantum abeſt, ut *PALLESCENS*, & quidem *EX ALTO, COLOR*, ad virtutem ducere, *MENTEMq; BONAM* demonſtrare, credatur,

tur, ut potius ſcelerum, inſidiarum, vitiorum, ac crudelitatis, perhibere argumentum, judicetur. Teſtis hujus enunciati eſſe poterit confirmatæ experientiæ *Plutarchus*; qui quidem peculiari *libello, de vitioſo pudore*, ſic literis prodidit: *Cato Major*, inquit, *dicebat*, *ADOLESCENTES ſe eos MAGIS PROBARE, QVI ERVBESCERENT, QVAM qui PALLESCERENT*: *recte condocefaciens, probrum magis, quam reprehenſionem, timere, & ſuſpicionem, quam periculum.* Quod ipſum confirmavit, inter reliquos, in *vita Caligulæ, Imp.* flagitioſiſſimi, Suetonius, cap. 50. *ſtaturâ* inquit, *fuit eminenti*, *COLORE EX PALLIDO*, *corpore enormi, gracilitate maximâ cervicis, & crurum, & oculis, & temporibus, concavis, fronte latâ, & torvâ, capillo raro, & circa verticem nullo, hirſutus cætera.* Quibus iſtis obiter *COLOREM SANGVINEVM*, tam *ANIMI*, & *BONÆ MENTIS*, quam Naturæ, & corporis temperiei, optimum perhibere ſignum, oſtendimus.

Præter *Animi*, *Corporisq;*, ingenuum illud Symbolum, *COLORIS* nempè bonitatem, reliquum eſt, ut utrum in *Fortunæ bonis* quoq; ſignum fortè ſuppeditari queat, quo porrò *MENTIS BONÆ*, atq; *INGENVÆ*, alumni dijudicari, notariq; ſuſtineant, inquiramus. Moleſtum a. eſt, quàm adverſa huic hominum generi fata, quàm ſiniſtra omina, eveniant, ut aſperam etiam ex *Autoribus* ſententiam afferre, tantum non *grave*, ſed etiam neceſſe, ſit. Nimis

mis verò tritum illud jam olim ab antiquo literis innotuit: Ἀγαθοὶ δ᾽ ἀριδάκρυες ἄνδρες: hoc eſt, *BONI VIRI LACRYMABILES* Magna n. & potiſſima, hominum pars, quæ ſane ſceleratiſſima eſt, opibus, inique comparatis, hoc ſeculo dives ſpectatur. Contrà verò *OPTIMI QUIQUE INOPIA* penè, *ac FAME, PREMUNTUR*: exclamante vel impuro, & gentili, nebulone, *Chremylo*, apud *Ariſtophanem*, *in Pluto*. Sententiam hîc dicet felix, atq; erudita, *Petronii*; ſuprà allegati, inquam, curioſitas. Verba illius ſunt, non uno loco, ſed repetitis vicibus, iſta: *AMOR*, inquit, *INGENII neminem unquam divitem fecit*. Et denuo: *Neſcio*, addit, *quo modo BONÆ MENTIS* SOROR *eſt PAUPERTAS*. Quo loco, per *BONAM* MENTEM ſine dubio *Satyricus* ille, & multæ elegantiæ, juxtaq; experientiæ, literator, *hominem probum*, *juſtum*, *ingenuum*, *recti*, *veriq*, *amantem*, intellexiſſe, evincitur. Quæritiſne ejus effati probationes, atq; exempla; Dabo compluta. Permittite igitur, ut non-nulla hoc in proſcenium afferam! *Plato*, *Ariſtonis* filius, ob *paupertatem* afflictus, in militiam abire conſtituit, teſte *Æliano*, *lib.* 3. *cap.* 27. *Homerus*, omni fortunâ, atq; auxilio humano propè deſtitutus, quòd cæcus, atq; inops eſſet, in extrema paupertate & vixiſſe, & obiiſſe, fertur, autore *Herodoto*, *in vita Homeri*. *Demoſthenem*, ætate provectum, in exilium ſors adverſa ejecit, adeoque ad conſciſcendæ ſibimet necis neceſſitatem adegit, prout eſt apud *Pauſaniam*,

in

in Corinthiacis, *lib.* 2. *Ariſtides*, veterum, gentilium celeberrimus ille, ob ſummam vitæ continentiam, quâ ſuâ ætate omnibus præcelluit, *IVSTVS* appellatus, in tanta deceſſit paupertate, tametſi maximis rebus præfuiſſet, ut tantillum vix reliquerit, quo defunctus efferretur, annotante *Corn. Nepote*, *in vita Ariſtidis* : qui porò de *Menenio Agrippra*, & *P. Scipione Africano*, æque pauperibus hanc in rem videri poteſt. Confer, ſuper eodem *Ariſtide*, *Phocione*, *Epaminanda*, *Pelopida*. *Scipione*, *Ephialte*, &c. Viris, & ducibus, clariſſimis, itemq; pauperrimis, præcitatum *Ælianum*, *lib.* 11. *cap.* 9 qui ità diſertimis verbis ebuccinare nullus dubitavit : *Omnium* , inquit *Græcorum clariſſimi*, *præſtantiſſimiq;*, *viri*, *per totam vitam INEXTREMA MENDICITATE verſati ſunt. Quis igitur DIVITIAS laudarit*, *cum omnium Græcorum probatiſſimis viris ſorte quadam PAVPERTAS per univerſam vitam adhæſerit ?*

Niſi illis veterum *Sapientum* acquieſcitis autoritatibus, ecce! manu vos deducam ad *Senecam patrem* & *Rhethorem* : qui quidem hac de materia *ex profeſſo*, quod ajunt, commentatus eſt, dum peculiari *libello* excurrit, & diſputat : *QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT: cum ſit providentia ?* Quòd igitur, præſuppoſitâ divinâ ordinatione, ac *providentia*, non

caſu

caſu, fortuitoq;, iſtud evenire, præcogitavit gentilis iſte ſapiens, atq; hoc ipſum, tanquam *DEI* munus, utile eſſe, judicavit audite lactea illius verba, quibus is, *Chriſtiano* homine neutiquam indignis, *BONÆ MENTIS* poſſeſſores erigit, ac conſolatur. Ita a. cap. 1. ad finem, ille: *Itaq;*, inquit, *cum videris BONOS VIROS, ACCEPTOSq; DIIS, laborare, ſudare, per arduum aſcendere, MALOS autem LASCIVIRE, & voluptatibus fluere: Cogita, filiorum nos modeſtiâ delectari, vernularum licentiâ: illos diſciplinâ triſtiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de DEO liqueat. BONUM VIRUM in deliciis non habet, experitur, indurat ſibi illum præparat.* &c. Quid rectius quid ferè ſanctius, inquam, ſuper divino myſtico, vel a. regio *Pſalte*, *Numinis* pleno, vel a pio illo *Aſſapho*, (cujus in *pſalmis* excitatur mentio) in medium proferri ſuſtinuiſſet? Ille n. *Aſſaphus*, ajo, eo ipſo nomine, quod *BONIS VIRIS MALA*, ex adverſo *MALIS* omnia *FELICIA*, evenire, expertus eſſet, ideoque pene, ſuper divina providentiâ, lapſum ſe fuiſſe, non diffitetur. Sed altius hocce loco hæc in divina, & verè myſtica, quæ aut pauciſſimi, aut nulli, mortalium capiunt, inquirere deſinamus. Sufficiat nobis divina ordinatio, & voluntas: cui qui recalcitrare auſit, manifeſtæ impietatis ſit neceſſe eſt. Age, Interim *Adoleſcentibus* quoq; etiam illud antè oculos ponamus, multos, imò plurimos, etiam *BONÆ MENTIS* alumnos, tantum non ad honores præclariſſimos, ſed jux-

ta etiam ad opes magnificas fereq; regias literarum bonitate, emerſiſſe? Et quis, inquam, neſcit, *Divam Cæſarum Romanorum* gentem, *Eloquentiæ* muneribus præcipue florentem, literarum operâ ac ſubſidio, *ad Imperii* illam majeſtatem perveniſſe, perhibente *Aurel. victore, lib. de Cæſaribus, cap.* 8. Quem fugit, teſte vel ipſo *Senecâ*, *Catones*, utiq; *philoſophiæ* iſtius gentilis veros architectos, ſive Cardinales, opibus non minus, quàm ſummis dignitatibus, triumphos egiſſe? Quis inquam, Quis *Varronis*, quis *Ciceronis*, quis *Salluſtii*, quis *Virgilii*, quis *Senecæ*, quis *Symmachi*, quis *Auſonii*, deniq; atq; aliorum, ſine numero, virorum doctrinâ excellentium, honores, præmia, divitiasq; cumulatiſſimas, potiſſimum *Literarum*, *MENTISq, BONÆ* beneficio, minimè verò ſcelere, ac fraudibus, acquiſitas, recenſeat?

Nihilo-minus tamen, cum *divitiæ* interim, voluptateſq; mundanæ, vel juxta cordatam *Val. Maximi*, ſententiam, *BONA* dicendæ non ſint, cum fluxæ, inſtabiles, ac puerilibus ſimillimæ crepundiis, non ſint illud, quod quidem quæritur bonum, comitem à tergo, ac præparatam, præſto habeant pœnitentiam, vulneratamq; plerumq; conſcientiam, immò, multos à bono ſeducant, id eſt, à *BONÆ MENTIS, PIETATISq,* habitu, ac propoſito, dejiciant, ecquis ſapiens confidat rei tantopere inſtabili? Ecquis iſtis inanibus, & *Malæ Mentis*, operibus, opibus, inquam, quæ ſibi p fraudes, vim, ac ſcelera, con-

quirunt fures, latrones, meretrices, milites, *Iudæi*, *Turci*, avari, raptores, & id genus, nomen, famamq;, extendere, optet? Expendite, vos rogo, paucíſſimos omnium, qui hiſtoriarum, literarumq;, famâ unquam noti ſũt, iccircò, quòd divitiis floruiſſent, nominis immortalitatem conſecutos eſſe, cum vel opibus turpiter abuſi, vel antè obitũs everſâ fortunâ ad ultimam paupertatem, miſeriamq; redacti, referantur! Vice verſâ diſpicite, quæſo, & videte, quàm plurimi, *Virtutis* amore, ſtudiisq;, *Bonæ Mentis*, illud quod & in vita, & poſt vitam, ſecundum cœleſtem illam beatitudinem, & optimum, & rariſſimum, venit dijudicandum, ſibi compararint, ut perennem laudatiſſimi nominis memoriam in animis, literiſq;, hominum, nunquam, donec hæ *Artes*, hæc *Humanitatis* ſtudia, florebunt, intermorituris, fundarint, perpetuârintq;! Scilicet iſthoc, ô *Adoleſcentes*! ſincerum, perpetuumq; illud eſt *Animi* bonum, atq; ornamentum, quo quis ad pulcherrimarum rerum notitiam, ac gloriam, emergere, honores, laudeſq;, ſinceras, ac ſtabiles, aſſequi, felicitatemq; (ſi qua in terris, extrà *Pietatem* hanc *Chriſtianam*, ſperari, vocariq; poterit,) referre ſufficit. Tametſi n. *Iul. Cæſar*, *Auguſtinus*, *Pompejus*, *Veſpaſianus*, *Titus*, *Hadrianus*, *Antonini* &c. immò etiam *Cato*, *Cicero*, *Virgilius*, *Seneca*, aliiq; viri literati, atq; illuſtres, innumeri, extiterint etiam ditiſſimi: ob hoc ipſum, inquam, certè decus ac famam, immortalitatis apud poſteros adepti non ſunt. Verum

rum n. verum, quod eſſent *Bona Mente* præditi, & præſtantes, id eſt, virtute, pu'cerrimarumq; reru mmultarum cognitione uſu, atq; experientiâ conſpicui, atq; præcellentes, ob hoc ipſum perpetuam, atq; ſolennem, nominis gloriam ſibi pepererunt. Ut ut igitur dominium rerum humanarum collibi ſoleat, certè *BONÆ MENTIS*, uſurpatio nullum triſtioris *Fortunæ* recipit incurſum: ut, præter hanc *Val. Maximi* illius confidentiam, cum *Tragico poëta*, iſthuic excurſui, comico magis, quam Tragico; *epiphonemate*, felicem clauſulam ſuper inducere volupe ſit: cujus aurei verſiculi ſunt illi, in Thyeſte, act. 2.

MENS regnum BONA poſſidet:
Nil ullis opus eſt equis,
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cum ſimulat fugas.
Admotis nihil eſt opus
Vrbes ſternere machinis,
Longè ſaxa rotantibus.
REX EST, QVI METVIT NIHIL,
HOC REGNVM SIBI QVISQVE DAT.

Quodſi quis a. deniq;, ſive dives, ſive avarus, ſive ἄμουσος, objiciet *BONÆ MENTIS* amantibus: Eccur, triſtiſſimis iſtis noſtris temporibus, quibus, ad oculum, ac maximè evidenter, omnes penè humanæ poſſeſſiones, opes, atq; faculta-

tes, (prout in plurimis paſſim, paſſimq; extant exempla) naufragium minantur, timeamus pericula inopiam, paupertatem : iſti verò (divites, inquam, quamdiu ſunt divites) nihil, aut parum, timere ſe ſe dicant : iſtis citatus apud *A. Gellium*, *lib.* 19. *cap.* 1. *Ariſtippus*, pro nobis reſpondeat. Qui in maris, vel ſimili tempeſtate, ab ejusdem commatis homine, interrogat⁹ : *QVARE PHILOSOPHVS TIMERET?* cum ille contrà nihil metueret ? Reſpondit, Haud eandem eſſe cauſam ſibi, atq; illi. Iſtum, n. pro *NEQVISSIMI NEBVLONIS ANIMA*, non magnopere eſſe ſolicitum : ipſum verò ſe, pro *ARISTIPPI* (hoc eſt, hominis frugi, & *BONÆ MENTIS*) *ANIMA* timere

DIXI.

A01
-1460872